

maioribus iuvatur studiis et meritis, ita tamen, ut nullus invitis et non petentibus detur episcopus, ne populum episcopum non optatum contempnere vel odire contingat. Sane in episcoporum electionibus semper ducendus¹⁾ est populus, non sequendus. Nam clericorum est electio, populi consensus¹⁾ et acclamatio, metropolitani vel summi pontificis confirmatio et consecratio.

c. 7.

Precipimus, ut sacerdotes viduas laicorum vel, quod detestabilius est, sacerdotum uxores ducere non presumant. Quod si fecerint, ecclesiasticis careant officiis et beneficiis. Laici vero, qui ammodo sacerdotum viduas sibi in matrimonium copula-verint, cum eisdem viduis a communione fidelium repellantur.²⁾ Clerici, qui ante adeptum sacerdotium duxerunt uxores, ad sacerdotium nisi promissa continentia nequaquam promoveantur.

c. 8.

Precipimus, ut episcopi eos, qui viduam vel repudiatam aut secundam duxerunt uxorem, nequaquam ordinare presumant. Sacri namque canones episcopos, qui tales ordinant, ordinandi dumtaxat potestate privandos esse sancserunt.³⁾

c. 9.

Ut⁴⁾ lex continentie, que altaris ministris precipue necessaria est, in clero plenius observetur, apostolica auctoritate decernimus^{a)}, quatenus canonici episcopalium ecclesiarum nec uxores⁴⁾ ducant nec publicas concubinas in domibus suis habere presumant. Quod si contra hoc saluberrimum constitutum aliquis eorum venire temptaverit, ecclesiasticis careat beneficiis et a communione fratrum, exclusa omni spe restitutionis, protinus

^{a)} fol. 1^v.

¹⁾—¹⁾ Dgl. c. 12 D. 63 (= Stephan V. JĲ. 3450, MĲ. Ĳpist. 7, 351 Nr. 32).

²⁾ Dgl. c. 12 D. 28 (= Ĳap. 29 Martini ep. Bracaren., ĲinŲdus 430).

³⁾ Dgl. c. 14 D. 32; c. 2 D. 33; c. 15 D. 34.

⁴⁾—⁴⁾ Dgl. c. 40 Ĳ. 27 q. 1 (conc. Ųat. a. 1139 c. 7) und c. 10 D. 31 (= Ųeo I. JĲ. 544 c. 3).